



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita P. Camilli De Lellis Fvndatoris Religionis Clericorvm
Regvlarivm Infirmis Ministrantivm**

Cicatelli, Sanzio

Antverpiæ

Cap. X. Camillus in somnis à Domino consolatione afficitur; ac in bono
proposito instituendæ Congregationis confirmatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37267

40 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
omnibus susque deque positis , ac potissi-
mum sanctissimi Crucifixi imagine post par-
tam quasi abiecta, tanto cordis dolore inflam-
matus est ; ut flexis exemplò humili genibus,
ipso Domino in cruce suffixo crumnam suam
feruenti precatione commendarit : ac dein-
de ex eo loco sublatum in suum cubiculum
eodem vespere deportarit. Erant eo tempore
domini Curatores & Conseruatores Noso-
comij (quos vulgo Guardianos vocant) do-
minus Cusanus (qui post fuit Cardinalis)
Alexander de Grandis, Gautres de Leone, &
Tarquinius Lipari.

C A P V T X.

*Camillus in somnis à Domino consolationem
afficitur; ac in bono proposito instituen-
dæ Congregationis confirmatur.*

CVm illa nocte cubitum Camillus rece-
sisset, luctu & mœrore, propter nouam
de Cōgregatione prohibitionem, confectus;
tandem bona eius noctis parte in anxiis &
tristibus animi motibus consumpta, varia co-
gitando defatigatus obdormiuit. Et ecce per
quietem videre sibi visus est eumdem Crucifi-
xum, quem in cubiculum suum vesperi de-
portauerat, caput sacratissimum mouentem,

ipſi

ipsique animos dantem, partim consolando, partim in bono instituendæ Congregationis proposito benignè confirmando. Videbatur enim hæc ad eum verba depromere: *Ne timeras pusillanimis: ad ulteriora te extende: ego te adiuuabo, & tecum ero.* Quibus dictis visum euanuit. Ipse autem ex pergefactus tanto delibutus est gaudio, sic omni rerum euentu contentus, sic solatij plenus, ut nemo mortalium magis: & cum tam firmo quidem proposito rem inceptam constanter urgendi, ut nec omnes inferos ad se ab ea cogitatione dimouendum satis valere crederet. Actis exinde infinitis diuinæ Maiestati gratiis, de tanta, quantam vix umquam aliæ, ac ne vix quidem percepérat, consolatione, statim ac diluxit, ad consolando corroborandosque sodales suos nimio adhuc timore perterritos se contulit: qui, quod tirones etiamnum essent in ista Christi militia, videbantur ad primum illius interdicti clangorem abiecti esse ac perdit: sed resumptis tunc animis, & diuina freti promissione, iis nihil obstantibus, quæ proximè constituta fuerant, cœperunt stare fortiter in acie, & inimico audacter se opponere; solito quidem more simul conueniendo, sed non palam ac manifestè in aliquo peculiari Oratorio, verum occultè intra ipsam S. Iacobi sacram Aedem,

C 5

cuius

VII

174

42 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS
cuius seruabat clauem ipse Pater Franciscus
Propheta, vnuis è sociis, tamquam eius loci
Sacellanus, Ibi ergo quām occultissimè po-
terant, cœtus suos faciebant, cumque alij
domestici omnes dormirent, aut laxamenti
gratiâ per vr̄bem irent; hi quietis & somni
vice, simul inclusi preces ad Deum funde-
bant: de diuinis rebus colloquebantur: cor-
pus flagellis diuerberabant: lectione spiri-
tuali pristinum pro Iesu Christi amore quid-
libet patiendi desiderium confirmabant,

C A P V T X I.

*Camillus statuit Congregationem extra
Nosocomium fundare: amplecti mini-
sterium peste infectorum: Sacerdotium
suscipere.*

CVn animaduerteret Camillus ex illis
occultis Congregationibus dignū ope-
ræ pretium nullum emergere: nec se ea quæ
destinauerat animo, posse foras in lucem
edere; hærebat non paucum animo confusus
& consilij expers, nec quid tandem conclu-
deret, certum habebat. Sed hac confusione
& hisce dubiarum & incertarum cogitatio-
num molestiis ipsa Dei benignitas aliorum
seruorum suorum operâ, eum in hunc mo-
dum